QVAESTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE AGITANDA, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII XIX. MARTII, MAGISTRO PETRO PIIART DOCTORE MEDICO, ET FACVLTATIS DECANO, MODERATORE PRVDENTISSIMO.

An febribus ſudor alui fluore tutior?

MOTVS in omnibus, prioris habitus perennis & irrequietæ mutationis, pro ſubiecti & eius affectionis varietate, multæ ſpecies, vt in ſubſtantia φύσεως, in qualitate ἀλλοιώσεως. Motus omnis in homine, ſed alteratio frequentior, prout corpus modò ſanum, modò ægrum efficit: vix cauſæ morbificæ vis irruit malefica. Celeris vel tarda commotio, ſimilem criſim aduehit: tunc maxima naturæ κίνησις καὶ κένωσις, cùm in procinctu ipſa proritata inſurgit, & ſumma contentione febris in aduerſum ſuas ἐφόδους exercet: & quocumque iactura ruat, inſigni mutatione, nulla, ſine vacuatione perficitur. In acutis eorúmque ſtatu κατ' ἔκκρισιν primis ſeptimanis, in longis poſt vigeſimum, κατ' ἀπόθεσιν, fit omne iudicium. Hanc vt humoris lentore, quò ſeriùs διαδέξις remoratur, eò magis critica motio retuſa debilitatur: ſic illa quò celeriùs, eò vehementiùs ſuſcipitur: quæ quoniam exitum humori præbet, vnde, quò, quà, & quamobrem decet, editis nempe pepaſmi ſignis, tum ad tempus, excretionis modum, morbi ſpeciem, & εὐφορίαν, idque ſuperſtite partium vnde manat integritate, ſecundi iudicij fida criſis erit, & à criſi leuatio.

PRO variis his conditionibus, motus ad criſim (qui tot ſunt quot euacuandi modi) εὐκρισίαν, δυσκρισίαν, & ἀκρισίαν inducunt. Sic phrenitidi bene ſudor è capite multus, melius ſe habet hæmorrhagia, alui deiectio δυχολή, alba verò peſſima. Peripneumoniæ & pleuritidi, ἀνάπτυσις debita, huius loco ſuccedaneũ empyema, non deſperata ſalus, huic pus duci per aluum lethale: ſplenis inflammationes ſoluunt hæmorrhagiæ, (nequaquam ἀνάπαλιν factæ) vt & hepatis, cui partim vrina fluens & ſudor, partim ὑποχώρησις, (vomitus autem ſemper moleſtior) cõferunt. His omnibus ſoluitur quæcumque febris, & prout calor eſt totius corporis in corde præter naturã accenſus, ſic vniuerſalem excretionem appetit. In qua ſudor & alui fluor primum locum obtinent: hic, ad interiora motio, non modo ventris indigena, ſed & illius aduena, humore prærupto tum è venis, tum è viſceribus, totóque corporis habitu, febres extinguit. Ille ad exteriora κατὰ γυῖον melius febres iudicat. πεμφυγώδης, καὶ μαρασμώδης criſeos ſunt expertes: lyppiriæ non niſi cholerâ ſuperueniente ſoluuntur: σύνοχος, καὶ συνεχὴς, τυφώδης hæmitritæâ longior, ἀσώδης, καὶ φρικώδης maximè per ſudores exoluuntur.

ΙΔΡΩΣ ἄριστος, qui per cutim totius compaginis, non modo ſeri, ſed cuiuſuis humoris effluuium eſt, naturâ duce cietur, febrem τελέως exoluit, nulla ſuperſtite morbi materia, nec empyreumate: cuius & vrinæ prout materia communis (non tamen æqua poteſtas) ſic ſudoris prænuncia vrinæ ſuppreſſio eſt, (cui rigor ſuperueniens cauſum exoluit,) eum quoque alia ſigna vt vndoſi pulſus, per mẽbra vapidus calor atque rubor proximè præcedunt: quod ſi veri ſimilis ſit æſtas quamplurimi ſudores in febribus ſunt expectandi. At vtilis ſudor, qui morbum leuat, & coctionem oſtendit, quo febris intermittit, licet eodem die repetat, qui ſecus euenerit, talis ad periculum apparet: ſic in acuta febre frigidus lethalis, in mitiori diuturnitatis omen: & ſi cum febre incidat qualiſcumque ſit, peſtiferus, ſi horror ſuperueniat, natura ſuccumbit: in omnibus autem ἐφίδρωσις pernicioſa, quæ cum parti inſideat ægræ affectam ſedem denotat: multus autem continuè fluens humoris vbertatem indicat, qui ſine diſcrimine per inferiora eſt vacuandus. Nec ſolum ægris, ſed & ſanis magni momenti ſudores ſunt: quibus enim ſunt plurimi, ij minus optima valetudine fruuntur, ſi ſponte fluant, iis deteriores quos labor citauerit: hi ſunt optimi poſt eius ceſſationem, illi per ſomnum (quo frequentiores) exorti, pluri cibo corpus vti, ſi non eſurienti acciderint, vacuatione indigere denotant: æſtate quàm hyeme ſalubriores: poſtica quàm antica, axillis, inguinibus, & circa faciem vberiores; qui vero è capite promanant nunquam ſunt graueolentes.

Ιαχώρησις optima tum ſanis, tum ægris, mollis, coagmentata, ſubrufa, (odorem reiicimus) hora qua conſueuit tranſmiſſa, & aſſumptis copia reſpondens, optima cum ſponte fertur aluus, adiuta fibrarum ope, quibus vis ineſt circumagendi fæces periſtaltico motu inteſtinorum proprio: craſſeſcat autem ad criſim, ſi quod intus lædit vel quod læſurum adimat: hæc ſi libera multo perfuſa humore ὁρμωμένη diarrhœa eſt, lippiẽti ſalus, balbis moleſta, phthiſicis ὀκτεινόν, non audienti ſi bilioſa commoda. *Si* cruenta fiat egeſtio non omnimodè pernicioſa: ſi meri ſanguinis ἰσχυρῶς καὶ λαύρως, dyſenteria fiet αἱματηρὴ ephœbis maximè ſalutaris. In morbi decurſu tota deiectionum malitia colore & ſubſtantia detegitur, prauæ in febre, friabiles, glutinoſæ, ramentatæ magíſque ſubliuidæ: malæ in acutis, ſpumantes nimis ſaturo colore bilioſæ, præalbæ, ſynceræ, variegatæ, porraceæ, nigræ, & tanto peiores, quanto coloris ſunt magis horrendi, ſed bene rebus ægri conſulitur, cum hauſto medicamine tales exiguntur.

LONGE diuerſa ſudorum ratio, nam qui κατ' ἔλξιν καὶ κατὰ τὴν ὦσιν hidroticis eliciuntur, vel potius exprimuntur explodendi, ſi quæ medici valeat induſtria, in diæta maximè verſatur: quare victus humidus vt omni febricitanti vtilis eſt, ſic & educendis ſudoribus confert. Intermittentium paroxyſmis licet abſtinentia ſeruetur, humidi tamen & ptiſſanæ liquoris hauſtus febris ardorem mitigat, ægrum reficit, ſudorem prouocat, qui ſic natura commoti non minus vtilitatis habent, in his quàm in ardentibus: ſic in tertianis per corpus diſperſa bilis in ſingulas partes diſſeminatur, quo fit vt delationis impetu, ipſa per ſe expurgetur & febrem ſudoribus finiat. Hi quotidianis pro certo iudicio ſunt, ſi cum excrementis alui pituitoſis effluant: quartanis ſi atra ſimul ac variis induta coloribus, ſemitertianis, ſi bile referta & pituitoſa deiiciantur: ſed in his nil ſine ſudore criticum: cum deiectionibus ſynceris ſudor febrem exoluit: per ſe ſolus cauſam adimit nulla remanente viſcerum phlogoſi, per ipſum nihil deeſt curationi.

Ergo febribus ſudor alui fluore tutior.

Aſſerebat Gabriel Harduinus de S. Iacques Pariſinus, A. R. S. M.DC.XIV.